Achtundzwanzigstes Programm

des

k. k. Staats-Ober-Gymnasiums

zu

IGLAU.

Veröffentlicht am Schlusse des Schuljahres

1877—78.

Inhalt: 1. Quo tempore tres priores Horatii carminum libri scripti et editi sint vom k. k. Gymnasialprofessor Fr. Novotný.
2. Schulnachrichten vom prov. Leiter der Anstalt.

(Selbstverlag des Gymnasiums.)

Achtundzwanzigstes Programm

des

k. k. Staats-Ober-Gymnasiums

zu

IGLAU.

Veröffentlicht am Schlusse des Schuljahres

1877—78.

Inhalt: 1. Quo tempore tres priores Horatii carminum libri scripti et editi sint vom k. k. Gymnasialprofessor Fr. Novotný.
2. Schulnachrichten vom prov. Leiter der Anstalt.

(Selbstverlag des Gymnasiums.)

Quo tempore tres priores Horatii carminum libri scripti et editi sint.*)

In definiendo tempore, quo tres carminum libri scripti et editi sint, ex Horatii vita solum illud temporis spatium mihi repetendum esse videtur, quo ad versus faciendos poëta noster accessit; quae res in annum u. c. 713. incidit.

Horatius enim patriae ac libertatis amore incensus tum, cum bellum civile exarsit, Brutum et Cassium secutus est.

Qui cum in pugna ad Philippos a. u. c. 712. devicti essent, factum est, ut Horatius proscriptis annumeraretur et omnem rem familiarem amitteret.

Sed victis venia impune redeundi oblata Romam rediit et, ut vitam sustentaret, scriptum quaestorium auctore Suetonio sibi comparavit. Quo anno munus illud deposuerit, argumentis certis evinci non potest; nonnulli id illo ipso anno factum esse arbitrantur, quo Maecenas ei praedium Sabinum dono dedit.

Utcunque autem haec res se habet, id certe constat, Horatium paulo post pugnam ad Philippos commissam versibus faciendis operam navasse, quod ipse fatetur epist. II, 2, 49.:

„Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pennis inopemque paterni
Et laris et fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem;“,

---

*) Libri, quibus usus sum, sunt hi:
C. Kirchneri Questiones Horatianae,
C. Franke, Fasti Horatiani. (Hunc potissimum in singulorum carminum tempore definiendo secutus sum.)
Christ. Guil. Mitscherlich, Quinti Horatii Flacci Carmina Lyrica.
Guil. Dillenburger, Q. Horatii Flacci opera omnia.
Dr. C. W. Nauck, des Q. Horatius Flaccus Oden und Epoden.
Gaspar Orellius, Q. Horatius Flaccus.
H. Düntzer, Kritik und Erklärung der Oden des Horaz,

quibus verbis hic est subici endus sensus, Horatium aegre tulisse, quod paupertate ad munus scribae quaestorii suscipiendum impulsus esset hancque indignationem carminibus scribendis lenire atque mitigare voluisse.

Praeterea perspexerat Horatius sibi a Musis benignam ingenii venam datam esse (Carm. II, 18, 10), quam assidua exercitatione et diligentia excolere atque perpolire sibi proposuit.

Huc accedit, quod iam a puero se ipsum observare consueverat, qua re factum est, ut omnes virtutes suas cognitas haberet, nec vitiorum suorum ignarus esset.

Non solum autem se ipsum, sed etiam aequales suos poëta noster animo intentissimo observabat eo consilio, ut veram ingenii humani naturam et omnino omnem vitae rationem animo comprehenderet.

Sed illis temporibus Romanorum mores erant depravati multisque vitiis inquinati, atque virtutes illae, quibus respublica Romana ad summum gloriae gradum provecta erat, magis magisque desiderabantur.

Itaque minime mirum esse potest, Horatium, qui nec sua condicione nec moribus aequalium suorum contentus esset, facultatem illam poëticam ad illud carminum genus primum transtulisse, quod animi affectui maxime conveniret.

Huius generis autem poëmata sunt epodi et satirae, in quibus et in qnoddam hominum genus et in singula vitiorum genera ipsa invehitur ; qua in re id consilium secutus est, ut vel errores aperiret et perstringeret itaque moribus aequalium corrigendis inserviret, vel hac in re solatium et levamen iniquae fortunae suae quaereret.

Atque constat, Horatium iam anno 713. epodos et annis sequentibus satiras una cum epodis scripsisse.

Deinde carmina componere coepit, quibus epistolas adiunxit, ita tamen, ut tres carminum libros priores et epistolarum librum primum uno eodemque tempore scriberet.

His praemissis ad rem ipsam accessurus et tempus, quo tres carminum libri priores scripti et editi sint, definiturus sum, ita tamen, ut carmina illa prius pertractem, quorum tempus, quo scripta sint, argumentis certis statui possit.

Carmen I, 2.

„Jam satis terris,“

quo Octavianus celebratur, alii anno 727, alii anno 732. scriptum esse putant propter Tiberis inundationes, quas his annis Dio Casius 53, 20. et 54, 1, commemorat,

Sed anno 732. hoc carmen compositum esse nequit; constat enim ad Octavianum iam anno 727. (Dio Cassius 53, 11.) summum imperium collatum atque ita confirmatum esse, ut post annum 727, de »ruentis imperi rebus« (v. 25) mentio fieri non posset.

Praeterea verba „Cui dabit partes scelus expiandi Juppiter?", quibus poëta noster Octavianum rempublicam conservaturum scelusque expiaturum auguratur, post annum 727. inepta fuissent.

Ad annum 727. autem carmen nostrum referre, haec res me dehortatur.

Memorat enim Dio Cassius 53, 16. et 20., Octaviano nomen Augusti anno 727. datum esse et nocte sequente Tiberim loca plana Romae ita inundasse, ut in iis navigari posset.

Quodsi Horatius hanc Tiberis inundationem descripsisset, non dubito, quin cognomen illud, quo Octavianum valde gavisum esse constat, commemorasset.

Et hanc ob rem illam potius diluviem Horatium in animo habuisse puto, quae Caesare interfecto accidit, et quam Scholiastae commemorant. Porphyrion enim his verbis utitur:

»Post occisum C. Caesarem, quem Cassius et Brutus aliique coniurati interfecerant, multa portenta sunt visa, Tiberis etiam crevit, ut prodigii loco haberetur.

Pari modo Acron Caesare occiso plurimas tempestates, nives et grandines fuisse, Romamque inundatione laborasse narrat.

Hac de causa etiam factum est, ut Horatius Tiberim appellaret ultorem Iliae (Iliae dum se nimium querenti iactat ultorem v. 17.), cuius luctus ad Caesaris necem referendus est.

Quum igitur de anno 727. cogitari non possit, videndum est, num in carmine ipso alia certiora temporis indicia inveniantur.

Proferuntur autem v. 49 sq. haec verba:

„Hic magnus potius triumphos,
Hic ames dici pater atque princeps",

e quibus intellegitur, poëtam de triumphis loqui, qui illo tempore exspectabantur.

Constat autem, Octavianum anno 725. a. d: VIII. VII. VI. Id. Sext. tres triumphos egisse, de Pannoniis; ex Macedonia et Actio; ex Aegypto de regina Cleopatra.

Qua ex re patet, carmen nostrum anno 725. ante Octaviani victoris reditum in urbem scriptum esse, quo tempore Romani Octa-

vianum rei publicae salutem et securitatem, quae bellis civilibus concussa erat, restituturum pacemque conciliaturum esse sperabant.

Licet Octavianus anno demum 752. pater patriae appellatus sit, tamen iam anno 725. Horatius verbis: »Hic ames dici pater« (v. 50) uti potuit, viris enim de republica optime meritis tales honores tribuebantur.

Carmen I, 6.

„Scriberis Vario"

non multo post victoriam Actiacam scriptum est. Versibus enim 4. et 5.:

„Quam rem cunque ferox navibus aut equis
Miles te duce gesserit",

quibus Agrippa terra marique victor denotatur, pugna ad Actium designatur, quia eundem Agrippam pugnae huius praecipuum auctorem fuisse constat.

Ut annus autem definiri possit, comparandum est nostrum carmen cum carmine I, 2.

Carmine I, 2. enim, quod anno 725 scriptum est, Octaviani laudes, et carmine I, 6. Agrippae laudes celebrantur.

Quodsi poëta carm. I, 6, 11. dicit:

. , . . „Musa potens vetat
Laudes egregii Caesaris et tuas
Culpa deterere ingeni,"

efficitur ex illis verbis, Horatium Caesaris laudibus Agrippae laudes quam proxime adiunxisse.

Quam ob rem carm. I, 6. anno 725. paulo post carmen I, 2. compositum esse puto.

E verbis autem, quibus Frankius p. 148. utitur: „Carmen VI. ante annum 727. conceptum esse videtur, quod Caesar v. 11. non appellatur Augustus. Adde quod poëta se amoribus indulgere et convivia ac proelia virginum canere malle dicit quam facta ducum. Nam quadragenarius desiit amare.",
non ea evincuntur, quae Frankius inde evinci voluit.

Nam etiam in carminibus post annum 727. scriptis, quo anno Octavianus Augusti nomen accepit, Caesaris nomen reperitur, ut e carm. III, 14, 3. IV, 2, 48 IV, 15, 4 intellegitur.

Praeterea, si Horatius dicit, se proelia virginum canere malle quam facta ducum, non efficitur ex illis verbis, carmen illo tempore

scriptum esse, quo poëta noster amoribus indulgebat. Mea quidem opinione verbis illis Horatius nihil aliud significare voluit, quam se non aptum esse ad poësin epicam sed ad lyricam. Quod profecto etiam senex dicere potuit.

Carmine I, 12.

„Quem virum aut heroa."

celebratur Marcellus vivus. Hic autem mortuus est anno 731., quare dubitari nequit, quin ante hunc annum carmen nostrum scriptum sit.

Frankius hoc carmen anno 729. scriptum esse putat. Sed ad illum annum poëma nostrum referre non ausim.

Constat enim, Augustum anno 729. adversus Cantabros bellum gessisse. (Dio Cassius 53, 25.)

Quodsi Horatius carmen I, 12. anno 729. scripsisset, non dubito, quin hoc bellum commemorasset.

Cum autem nullam omnino mentionem Cantabrorum faciat, sed v. 53. sq.:

„Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho
Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos,"

Parthos, Seras, Indos commemoret, quam aptissime carmen I, 12. ad annum 727. referri potest, quo tempore Octavianus Orientis populis bellum illaturus erat.

Praeterea anno 727. Marcellus sedecim annos natus erat, cui tempori verba, quae v. 45. sq. proferuntur:

„Crescit occulto velut arbor aevo
Fama Marcelli;"

optime conveniunt.

Quam ob rem carmen I, 12 anno 727. compositum esse videtur.

Carmen I, 14.

„O navis, referent"

alii ad annum 713., alii ad annum 722., nonnulli ad annum 726. referunt.

Muretus, Dacerius, alii carmen nostrum scriptum esse putant ad navem, qua Horatius anno 713. post cladem Philippensem in Italiam venerit.

Sed navis lacera admodum humile carminis lyrici esset argumentum nec dignum tanta gravitate, quae carmini nostro inest.

Tum huic rei Quintiliani auctoritas obstat, qui carmen hoc allegoriam esse agnovit. Comparatur enim respublica bellis civilibus exagitata cum navi in procella periclitante.

Quodsi autem, ut Mitscherlichius opinatur, anno 722. ante pugnam ad Actium commissam hoc carmine poëta Antonium monere voluisset, ne bellum contra Octavianum moveret, allegoria non usus esset, sed aperte bella civilia dissuasisset.

Praeterea verbis carm. I, 14, 17. sq :

„Nuper sollicitum quae mihi taedium,
Nunc desiderium curaque non levis,“

Horatius haec exprimere voluit:

Taedebat me reipublicae illo tempore, quo bellis civilibus illam perituram putabam, sollicitusque eram de eius salute; nunc autem his bellis compositis et pace confirmata talem rerum statum amo, idque est desiderium meum.

Quod profecto anno 722. poëta noster dicere non potuit, cum discordiae civiles nondum essent compositae et inimicitiae inter Antonium et Octavianum coortae ad atrocissimum bellum spectarent.

Quam ob rem carmen I, 14. nequaquam anno 722., sed post pugnam ad Actium scriptum est.

Cum enim Horatius hoc carmine Romanos moneat atque obtestetur, ne iterum in bella civilia irruant, poëma nostrum ad annum 725. referendum est, quo tempore Octavianus de imperio deponendo deliberabat. Perspexerat enim Horatius novis malis ac bellis locum dari, si respublica Octaviano orbaretur.

Praeterea, si respicimus orationem, qua Maecenas anno 725. Octaviano suadet, ut imperium retineat (Dio Cassius 52. 16.), videmus illam cum Horatii verbis congruere; simili modo enim Maecenas rempublicam cum navi comparat.

Carmen I, 24.

„Quis desiderio“

scriptum est anno 730., quo de vita decessit Quintilius, cuius mortem Virgilius valde lugebat.

Quare poëta Virgilium ita consolatur, ut eius moerorem ac luctum ob ereptum amicum probet, deinde patientiam ad fortiter ferendum id, quod mutari non possit, commendet.

Carmen I, 26.
„Musis amicus"

referendum est ad illud tempus, quo Phraates adversus Tiridatem bellum parabat.

Ili reguli enim iam anno 723. de Parthorum regno inter se contendebant. Tiridates victus in Syriam anno 724. se contulit (Dio Cassius 51. 18.), mox vero in regnum restitutus est, cum Phraates a Parthis pulsus esset.

Phraates vero ad Scythas confugit, quorum auxilio bellum contra aemulum suscepit.

Qua re audita non solum Parthis ingens terror iniectus est, sed etiam Tiridates timore ita perculsus est, ut in Hispaniam ad Augustum anno 729. (Justin. 42, 5) profugeret.

Ad has igitur res verba, quae v. 5 proferuntur: „Quid Tiridatem terreat," sunt referenda; qua ex re sequitur, carmen nostrum anno 729. compositum esse.

Carmen I, 29.
„Icci beatis"

scriptum est ante bellum a Romanis anno 730. adversus Arabes Aelio Gallo duce susceptum, ad quod Iccius philosophiae studio intermisso profecturus erat.

Cum autem expeditio illa iam anno 727. pararetur (Dio Cassius 53, 22.), ad eundem annum carmen nostrum referendum est.

Carmen I, 31.
„Quid dedicatum"

compositum est anno 726., quo Octavianus ob victoriam ad Actium reportatam Apollinis templum et bibliothecam in Palatio dedicavit (Dio Cassius 53, 1). Quo tempore Horatius quoque preces pro se, ut vate, fecit.

Carmen I, 34.
„Parcus deorum"

scriptum est anno 731. Versabatur enim eodem tempore Romae Tiridates profugus una cum Phraatis filio, quem rapuerat atque Romanis tradiderat.

Quare Phraates anno 731. legatos Romam misit repetitum Tiridatem et filium suum. Augustus filium Phraati hac lege remisit, ut

captivi et signa militaria M. Crasso et M. Antonio adempta restituerentur. Tiridati autem Romae manere permisit. Dio Cassius 53, 33.
Quam ob rem v. 14. sq.:

„Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.“,

quibus poëta exprimere voluit, Tiridate pulso Phraaten in regnum restitutum esse anno 731. optime conveniunt; nam illo tempore Parthorum res in omnium ore erant.

Carmen I, 35.
„O diva gratum“

compositum est, ut e v. 29. sq.:

„Serves iturum in ultimos
Orbis Britannos, et iuvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.“

patet, anno 727., quo tempore Octavianus expeditiones in Britanniam et Orientem parabat. Dio Cassius 53, 22. et 25.

Carmen I, 36.
„Et ture et fidibus“

scriptum est anno 730, quo Plotius Numida, cuius ex Hispania reditum Horatius hoc carmine celebrat, expeditione in Cantabros confecta Romam rediit.

Carmen I, 37.
„Nunc est bibendum“

compositum est anno 724, postquam nuntius de Alexandria expugnata ac de Antonii morte et Cleopatrae Romam allatus est. Dio Cassius 51, 9—14.

In definiendo tempore
Carminis II, 1.
„Motum ex Metello“

a carmine I, 2. exordiamur, cuius versus 29.:

„Cui dabit partes scelus expiandi Jupiter?“

cum v. 5. huius carminis:

. . . . . Arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,"

comparandus est. Nam ut e v. 29. „Cui dabit" etc. concludere potuimus, haec verba non multo post pugnam Actiacam scripta esse, ita verba huius carminis „arma nondum expiatis uncta cruoribus" ad eandem aetatem spectare videntur.

Huc accedit, quod v. 29. sq. „Quis non Latino sanguine pinguior" denotatur tempus, quod plurima atque atrocissima bella civilia antecesserant, quae reipublicae Romanae magnum damnum attulerant.

Denique opus illud, quod Pollio tum conscribebat, et quo bella civilia enarrare studebat, Horatius „periculosae plenum opus aleae" (v. 6.) appellat et illum per ignes cineri doloso suppositos incedere dicit.

His verbis autem poëta noster tum uti potuit, cum Antonio, qui Pollioni favebat, devicto Octavianus rerum potitus est.

Nam opus huiusmodi scribere praesertim illo tempore, quod proxime aberat a pugna Actiaca, valde periculosum erat.

Ex his, quae attuli, sequi arbitror, carmen nostrum anno 725. compositum esse.

Carmen II, 2.

„Nullus argento"

scriptum est ante annum 732.

Laudat enim Horatius v. 5. sq. Proculeium, cuius mentionem non fecisset, si carmen anno 732. scripsisset, quo Fannii Caepionis et Licinii Muraenae, Proculei fratris, coniuratio contra Augustum detecta est. Velleius 2, 91.

Praeterea e verbis: „Redditum Cyri solio Phraaten" (v. 17.) patet, hoc carmen tum scriptum esse, cum Phraates in Parthorum regnum restitutus est.

Redditus erat autem Phraates Cyri solio anno 730., quare carmen nostrum ad eundem annum referendum est.

Carmen II, 4.

„Ne sit ancillae"

scriptum est, ut ex v. 23. sq. intellegitur, postquam poëta quadragesimum aetatis annum exegit. Natus est autem Horatius VI. Id. Decembr. a. u. c. 689.

Quam ob rem carmen nostrum aut exeunte anno 729. aut initio anni 730. compositum est.

Carmini II, 9.

„Non semper imbres"

inest in fine certum temporis indicium

Nam e v. 19., sq.:

> . . . . „et potius nova
> Cantemus Augusti tropaea
> Caesaris et rigidum Niphaten,"

patet, Horatium de tropaeis Armeniacis loqui. Niphates enim Armeniae mons est. Strab. 11. p. 522: ἔπειτα (ἡ Ἀρμενία) ἐξαίρεται καὶ καλεῖται Νιφάτης.

Redegit autem Armeniam in potestatem populi Romani Tiberius Claudius Nero anno 734. (Velleius 2, 94. Tac. Ann. 2. 3 Dio 54, 9.), cuius rei poëta noster in epist. I, 12, 26 mentionem facit:

> . , . . „Claudi virtute Neronis
> Armenius cecidit."

Porro verbis, quae proferuntur v. 20. sq.:

> Medumque flumen gentibus additum
> Victis minores volvere vertices,"

Parthorum superbia fracta denotatur, nam „Medum flumen" est Euphrates, celebratissimus Medorum sive Parthorum fluvius.

Fracta est autem Parthorum superbia anno 734.; Phraates enim auctoritate Augusti Syriam illo anno peragrantis commotus, captivos et signa militaria Crasso et Antonio adempta Romanis remisit. Dio 54, 8.

Quam ob rem hoc carmen ad annum 734. referendum esse puto.

Carmen II, 13.

„Ille et nefasto"

compositum est anno 733., ut e carmine III, 8. patet.

Nam in carmine II, 13. poëta se lapsu arboris in praedio suo paene oppressum narrat.

Carmine III, 8. Maecenatem ad diem festum Kalendarum Martiarum secum celebrandum invitat; hunc enim esse ait diem anniversarium, quo ipse ab arboris ictu conservatus fuerit.

Cum autem carmen III. 8. anno 734., ut suo loco demonstrabo, scriptum sit, carmen II, 13. ab illo unius modo anni spatio distat, quam ob rem ad annum 733. referendum est.

Hoc sacrum primum est ab illo casu, de quo carmen II, 13 agit; nam Maecenas miratur, Horatium caelibem hunc ipsum diem, quo matronae Romanorum Junoni Matronalia agebant, festum agere. Quodsi Horatius Kalendas Martias iam ante hunc annum sacrificio et epulis celebrasset, Maecenati, amico familiarissimo, causa huius sacri nota fuisset.

Carmen II, 15.

„Jam pauca aratro“

caret quidem certo temporis indicio, sed tamen annus ex argumento definiri potest.

Invehitur enim poëta in prima carminis parte in aequalium suorum nimiam luxuriam, quae maxime in aedificiorum amplitudine atque magnificentia cernebatur.

Nam cum privati homines splendidas atque amplissimas aedes exstruerent, tamen tanta eorundem hominum in publicis aedificiis erat parsimonia, ut deorum templa vetustate corruerent.

In altera autem carminis parte laudat Horatius veterum Romanorum frugalitatem, qui modicis opibus contenti omnia sua in publicam utilitatem ac dignitatem contulerint.

Haec verba optime conveniunt anno 726., quo Octavianus ad templa vetustate collapsa reficienda et ad urbem ornandam animum appulit. Dio 51, 1 et 2.

Quam ob rem hoc carmen ad annum 726. referendum est.

Carmen II, 17.

„Cur me querelis“

scriptum est anno 733.

Nam v. 28.:

„Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat,“

periculum illud commemoratur, quod ad annum 733. retuli, ut e carmine II, 13. patet.

Quam ob rem carmen II, 17. ante annum 733. scriptum esse non potest.

Praeterea carmen II. 17. a carmine II, 13. tempore non multum distat, quia Horatius sacrum Fauno promissum nondum fecerat, ut patet e v. 32.:

„Nos humilem feriemus agnam."

Cum autem carmen II. 13. anno 733. compositum sit, ad eundem annum carmen nostrum referendum esse puto.

In carmine III, 3.

„Iustum ac tenacem"

Augusti nomen reperitur, ut e v. 11.:

„Quos inter Augustus recumbens"

intellegitur. Et hanc ob rem carmen III, 3. ante annum 727. compositum esse non potest, quia constat, illo anno Octaviano cognomen illud datum esse.

Ut annus autem definiri possit, comparandi sunt versus 42—44. huius carminis:

. , . „stet Capitolium
Fulgens triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis."

cum versibus 2—4. carminis III, 5.:

. . . „praesens divus habebitur
Augustus adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis."

Quodsi hos versus respicimus, videmus, poëtam in utroque carmine de una eademque re loqui.

Nam verbis: „stet Capitolium" spes victoriae de Parthis reportandae proponitur.

Praeterea verbis: „praesens divus habebitur Augustus" eadem spes futura exprimitur. Horatius enim non dubibat, quin Augustus Persas i. e. Parthos devicturus sit, et participio perfecti usus, rem describit, quasi iam perfecta sit.

Cum igitur poëta in utroque carmine unam eandemque rem tractet, versimile est, carmina III, 3. et III, 5. eodem tempore composita esse.

Et quia carmen III, 5. ad annum 727., ut mox commemorabo referendum est, carmen III, 3. eodem anno scriptum esse videtur.

Carmen III, 5.

„Coelo tonantem"

Kirchnerus retulit ad annum 734., quo Phraates Augusto signa et captivos remisit.

Sed ad hunc annum carmen nostrum referre non ausim.

Nam e verbis, quae proferuntur v. 2. sq.

. . . . „praesens divus habebitur
Augustus adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis."

patet, Horatium non de re perfecta, sed de re futura, ut iam commemoravi, loqui.

Ex quo sequitur, carmen III, 5. ante annum 734. compositum esse.

Porro si Horatius poëma nostrum anno 734. scripsisset, vix Britannos, sed potius Dacos commemorasset; hic populus enim illo anno a Lentulo devictus est. Flor. IV. 12.

Cum autem poëta v. 2. sq. Persas et Britannos commemoret, carmen nostrum ad illud tempus spectat, quo Romani et adversus Britannos et adversus Orientis populos bellum moliebantur. Dio 53, 22. et 25.

Et cum bellum illud iam anno 727. pararetur, ad eundem annum carmen III, 5. referendum est.

Carmen III, 6.

„Delicta maiorum"

compositum est paulo post pugnam Actiacam; nam v. 13. sq.:

„Paene occupatam seditionibus
Delevit urbem Dacus et Aethiops:"

bellum Antonii et Octaviani denotatur. Daci enim ab Octaviano spreti ad Antonium inclinaverant.

Praeterea Aegyptios, Antonii classiarios, Horatius poëtice propter vicinitatem Aethiopes appellat. Annus autem e carminis argumento evinci potest.

Cum enim poëta causam omnium calamitatum, quibus respublica Romana concussa sit, a corruptis moribus et spreto deorum cultu repetat atque huius carminis exordio Romanos moneat, ut templa reficiant; referendum est carmen nostrum ad annum 726., quo Octavianus de

moribus emendandis cogitavit et templis reficiendis operam navavit. Dio Cassius 53, 1. 2.

Carmen III, 8,

„Martiis caelebs“

compositum est anno 731., ut e v. 18. sq.:

„Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis,
Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena,“

intellegitur. Nam illo anno Daci clade gravissima a Lentulo affecti sunt. Flor. 4, 12.

Porro Medi seu Parthi inter Phraatis regis et Tiridatis exsulis partes discordiis civilibus ita agitabantur, ut bellum contra Romanos suscipere non possent. Quam ob rem captivos et signa militaria Antonio et Crasso erepta Romanis anno 734. remiserunt.

Denique verbis: „Cantaber sera domitus catena" poëta anno demum 734. uti potuit.

Ista enim bellicosissima Hispaniae septentrionalis natio, quamvis saepius a Romanis superata esset, primum anno 725. (Dio 51, 20.), deinde anno 729. (Dio 53, 25), tamen denuo bellum suscepit et demum anno 734. ab Agrippa devicta (Dio 54, 11. Flor. 4, 12.) atque in Romanorum potestatem redacta est.

Quibus de causis carmen nostrum ad annum 734. refero.

Carmen III, 14.

„Herculis ritu“

scriptum est anno 730., cum composito bello Cantabrico secundo Romam perlatus esset nuntius de Augusti ex Hispania reditu.

Compositum est autem bellum illud iam anno 729., sed Augustus gravi morbo oppressus anno demum 730. Romam rediit, ubi magno omnium, quibus pax cordi erat, gaudio exceptus est. Quo laeto die Horatius et totius populi et suos laetiae sensus hoc carmine expressit.

Carmine III. 24.

„Intactis opulentior“

Horatius corruptos saeculi sui mores eorumque originem, nimias privatorum hominum divitias, insectatur et Romanos ad pristinam morum integritatem revocare studet.

Qua ex re patet, hoc carmen ad annum 726. referendum esse, quia Octavianum eo tempore de moribus emendandis cogitasse constat.

Carmen III, 25.

„Quo me Bacche rapis"

anno 725. compositum esse videtur. Meditatur enim poëta Octavianum ob magnitudinem rerum gestarum „stellis inserere et consilio Iovis" (v. 4. et 5.) hoc est ad deos immortales efferre.

Quodsi investigamus, cui tempori haec verba optime conveniant, aptissime sese nobis offert annus 725.

Nam cum notum sit Octaviano anno 725. honores divinos a senatu ita decretos fuisse, ut in hymnos nomen eius referretur (Dio Cassius 51, 19 et 20), verisimile est, Horatium illam ob causam ad hoc carmen componendum accessisse.

Ut tempus carminis III, 29.

„Tyrrhena regum"

definiri possit, comparandi sunt versus 25. et 26. huius carminis:

„Tu civitatem quis deceat status
Curas et urbi sollicitus times."

cum v. 17. carminis III, 8.:

„Mitte civiles super urbe curas."

His utriusque carminis versibus una eademque res, urbis cura Maecenati commissa, exprimitur. Quam ob rem carmina illa tempore non multum inter se distant.

Cum autem carmen III, 8. ad annum 734. referendum sit, sequitur ex ea re, carmen III, 29. aut eodem anno aut paulo ante hunc annum compositum esse, praesertim quia constat, Octavianum anno 733. in Graeciam, hinc Samum navigasse ibique hiemasse atque Maecenatem illo tempore Augusti partibus functum esse.

Confectis tribus carminum libris Horatius, antequam eos edidit, carmen I, 1., „Maecenas atavis" prologi, deinde carmen III, 30. „Exegi monumentum" epilogi loco composuit. Et quia illos tres carminum libros anno 734., ut statim demonstrabo, editos esse puto, ad eundem annum carmen I, 1. et carmen III, 30. refero.

Quodsi carmina illa, quorum compositionis tempus definiri potest, respicimus, videmus, ea intra a. 724—734. scripta esse; qua ex re efficitur, Horatium finitis bellis civilibus et pace confirmata in lyricam poesin incubuisse et tum demum vel iuvenum curas, proelia virginum et convivia cecinisse, vel laudes egregii Caesaris carminibus celebrasse.

Iam singulorum carminum tempore definito restat, ut annum statuam, quo tres priores carminum libri editi sint.

Veteres de tempore nihil commemorant praeter hoc, quod Suetonius memoriae tradidit, tribus carminum libris longo intervallo interiecto quartum esse additum.

Recentioros autem in definiendo anno in diversas partes discedunt.

Frankius priores tres carminum libros anno 731., Walkenaerus anno 734, plerique anno 736. editos esse putant.

Cum autem carmina II, 9. „Non semper imbres" II, 13. „Ille et nefasto" II, 17. „Cur me querelis" III, 8. „Martiis caelebs" III, 29. „Tyrrhena regum" post annum 731, ut iam commemoravi, composita sint, sequitur ex ea re, tres priores carminum libros anno 731. editos non esse.

De anno 736. autem, quo plerique maxime propter Virgilii iter Atticum (carm. I, 3.) tres priores carminum libros editos esse putant, cogitari nequit. Nam quo anno poëma illud compositum sit, nos latet; id solum affirmari potest, carmen I, 3. anno 735. scriptum non esse. Quae enim de itinere anno 735. a Virgilio in Graeciam suscepto memoriae tradita sunt, ea cum argumento carminis I, 3. minime congruunt.

Constat enim, Virgilium anno 735. in Graeciam profectum esse, ut Aeneidi ultimam manum imponeret. Quodsi Horatius iter illud respexisset, certissime Aeneidos mentionem fecisset; vix enim est credendum, poëtam nostrum de opere illo praeclaro, quod quam ardentissime exspectabatur, praesertim cum iam singuli libri noti essent et summa admiratione Romanos affecissent, omnino tacuisse.

Cum igitur Horatius nullam illius carminis epici mentionem faciat, sequitur ex ea re, carmen I, 3. nequaquam ad iter anno 735. susceptum, sed ad iter alio tempore a Virgilio factum spectare.

Atque porro Virgilium anno 735. diem supremum obiisse constat. Quodsi Horatius tres priores carminum libros anno 736. edidisset, certe mortem Virgilii, quem vivum valde diligebat, commemorasset et amicum nuper mortuum novo aliquo carmine celebrasset.

Horatium enim atque Virgilium sincera atque intima amicitia coniunctos fuisse patet e v. carm. I, 3, 5.:

Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.

Praeterea e verbis Sat. 1, 5, 40. sq.:

. . . . „namque
Plotius et Varius Sinuessae Virgiliusque
Occurrunt, animae quales neque candidiores
Terra tulit, neque quis me sit devinctior alter."

Deinde e verbis Sat. 1, 10, 44. sq.:

. . . . „forte epos acer
Ut nemo Varius ducit; molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenae.

Postremo e carmine 1, 24., quo Horatius Virgilium de morte Quintilii conquerentem consolari studet.

Mirum igitur esset, si Horatius mortem Virgilii, amici familiarissimi, silentio praeteriisset.

Ex his rebus elucet, tres priores carminum libros ante Virgilii mortem editos esse, quod praeterea ex Horatii ipsius poëmatis patet.

Notum enim est Horatium carmina et epistolarum lib. 1. uno eodemque tempore scripsisse. Carminum autem scribendorum eum prius finem fecisse intellegitur ex epist. 1, 19, 32. sq.:

„Hunc (Alcaeum) ego non alio dictum prius ore Latinus
Vulgavi fidicen; iuvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?"

Erant igitur, ut ex his verbis patet, tum, cum Horatius epist. 1, 19. scribebat, carmina iam in Romanorum manibus. Nam verbis epist. 1, 19, 35:

. . . „mea cur ingratus **opuscula** lector
Laudet" etc.

denotantur carmina lyrica, quae v. 42. „nugae", v. 44. „poetica mella", epist. 1. 1, 10. „ludicra" ab Horatio nominantur.

Sed quo anno epist. 1, 19. scripta sit, patet ex epistola 1, 20., quae confectis omnibus lib. 1, epistolis epilogi loco huic libro addita est et cuius in fine poëta his verbis utitur:

„Forte meum si quis te percontabitur aevum,
Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

Cum autem Horatius VI. Id. Decemb. a. u. c. 689. natus sit, efficitur inde, eum VI. Id Decemb. a. 733. quater undenos Decembres implevisse.

Quam ob rem epist. I, 20. aut exeunte anno 733. aut anno 734. sed ante diem VI. Id. Decembr. scripta est.

Ex quo sequitur, epist. I, 19. nequaquam post annum 734., sed aut anno 734. aut ante hunc annum compositam esse.

Sed quia carmina II. 9. „Non semper imbres" et III. 8, „Martiis caelebs" anno 734. composita sunt, elucet ex illa re, Horatium tres priores carminum libros anno 734. edidisse, carminibusque editis ad epistolam I, 19. scribendam accessisse, nam tum demum verbis: „Hunc ego non alio dictum prius ore Latinus vulgavi fidicen" etc. uti potuit; et deinde epistolam I, 20. eodem anno i. e. anno 734. composuisse.

His igitur de causis priores tres carminum libros a. u. c. 734 editos esse puto.

Fr. Novotný.




IGLAU 1878.
Druck von J. Rippl's Sohn.